[illegible] propoſitiones [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] hic quatuorvir [illegible] [illegible]

3

CONFUTATIO

QUATUORVIRI

DESIDERII CONDEI;

Suſcipientis Cauſam PETRI MOENS, Paſtoris Brugenſis *incriminandis Theologis Religioſis, ac præcipuè Societatis* JESU.

COLONIÆ,

Apud JOAN. WILHELMUM FRIESSEM,
Juniorem. 1681.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆFATIUNCULA.

SI clamaſſe, exultaſſe, maledixiſſe, viciſſe, victiſſimus ſum à quodam homi
qui ſe appellat *Deſiderium Condeum*; à me v
in hiſce pagellis vocabitur *Quatuorvir*; q
ſuâ ad *Triumviros*, quos confutavi pridem,
ceſſione, de *Triumviratu* fecerit *Quatuorvira*
Criminatorum. Ille me, cum ſim Sandæus,
eſſe *ſine Deo, quia ſine veritate*, cujuſmodi
eſt profecto ille alter ego, cujus phanta
miſerè torquet animum *Quatuorviri*, ac ne
quidem ut confido, per gratiam Divinam.
quid faceret in deſperatiſſima cauſa Paſtor
Quod petulanti Juliano exprobravit *S. Au*
ſtinus, ſperavit, calumniando, & maledicer
cauſam fieri poſſe bonam. Quod ad me attir
Deum precor, ut ille *Deſiderius Condeus* ſem
ſit cum Deo. Cæterum habeo decretum ten
iſtud meum; Neque ad dexteram, neque
ſiniſtram. Attamen præcipienda ſunt quæd
ad detegendam hominis ſeu temeritatem,
audaciam, ſeu futilitatem in affirmando.

§. 1.

SPECIMINA

Temeritatis , & futilitatis quædam de multis.

1. PErſuaſum cupit, hoc a me agi, ut omnes promiſcue, quos in invidiam vocarunt Criminatores, ſint innoxii. Id non eſt ita. Hoc egi, & ago, ut, quos certum eſt pati calumniam, ii exhibeantur innoxii: quorum verò cauſa non eſt liquida, eorum doctrina proponatur, non diſſimulatis iis, quæ ipſam emolliunt, & judicium relinquendo Sapienti Lectori. Hoc egi, & ago, ut appareat, non niſi per invidiam, ac malevolentiam damnatas propoſitiones adſcribi potius certis Religioſis, quam aliis omnis generis Theologis, etiam Lovanienſibus Doctoribus, à quorum Alumnis invidia in Religioſos illos præcipuè detorquetur. Mentem, ſcopumque meum ſtudioſiſſimè aperui in Prolegom. ad Confutat. Triumvirorum.

2. Perſuaſum cupit, ſicubi erraverit Jeſuita unus, errorem præſtandum ab ordine univerſo. Fabula decantata, & refutata toties. Me vide

in Prolegom. ad Confutat. Triumviror. §. 11. His inculcandis opera luditur apud hanc factionem, cui decretum eſt, heri refutata occinere nihilo ſegnius.

3. Perſuaſum cupit, quoſdam Parochos, & Vicarios Pariſienſes, Jeſuitarum hoſtes, eâ eſſe autoritate, ut non liceat Jeſuitis contra eos excipere. Certè nihil morantur Jeſuitæ quoſdam Vicarios Pariſienſes, ad quos extat Breve Apoſtolicum ab ALEXANDRO VII. datum 1. Auguſti 1661. ubi graviſſimis verbis perſtringuntur de quodam edicto ab ipſis edito die 5. Julii eodem anno, in quo *temerariâ & mendaci narratione* affirmare erant auſi, tempore INNOCENTII X. ſolum fuiſſe actum, an Quinque Propoſitiones eſſent Catholicæ, an hæreticæ; adeoque Propoſitiones non eſſe damnatas in ſenſu Janſenii. *Quod*, inquit Pontifex, *cum adeo falſum patenſque mendacium in re tali aſſerere minimè veriti ſitis, ubique malorum zizaniorum in agro Dominico ſeminatores, Eccleſiæ Catholicæ perturbatores, & quod in vobis eſt, autores turpiſſimi Schiſmatis eſſe deprehendimini..... Protervia in vobis dignoſcitur, cavillationibus ſubdolis, & circuitibus obviam eundi Eccleſiæ definitionibus, quibus etiam totius Franciæ Epiſcoporum, & Prælatorum obſequium & zelus, & Chriſtianiſſimi Regis pietas tam anxiè præſto eſt &c.* Hos inquam Vicarios Pariſienſes nihil morantur Jeſuitæ.

4. Per-

4. Perſuaſum cupit, nihilo plus piaculi eſſe in allegandis cenſuris Pariſienſibus contra Vernantium, & Amadeum, quam alio quovis libro a S. Congregatione proſcripto; cum conſtet illud ſpecialiter eſſe vetitum ſub pœnâ Excommunicationis ab ALEXANDRO VII. Conſtit. *Cum ad aures*, his verbis: *Mandamus inſuper, ne quiſquam ex Chriſti Fidelibus.... prædictas cenſuras approbet, aut ſequatur, atque defendat, neve in publicis aut privatis Lectionibus, diſputationibus, ſeſſionibus, aut aliis actibus publicis, illas ſequatur, tueatur aut doceat, neque in libris, aut etiam ſcripturis publicis, vel privatis, aut alio quocumque modo illas alleget ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda &c.* Patet ergo quam ſit reverens Decretorum Apoſtolicorum hic Quatuorvir.

5. Perſuaſum cupit, nihil ſcrupuli paſſos Jeſuitas, ante Decretum INNOCENTII XI. quo minus faterentur, Theologos ſuos ea docuiſſe, quæ poſtquam prodiit Decretum negant ad illos pertinere; ac nominatim Autorem Apologiæ pro Caſuiſtis ea, quæ objecerat Montaltius, non repudiaſſe, ut aliena à ſuis, ſed defendiſſe, ut probabilia. Ubi obiter obſerva: Autorem illum fuiſſe Jeſuitam; Unde conſtat? Parochi Pariſienſes dixerunt: liber lectus eſt in Triclinio Jeſuitarum &c. Sed quid ſi & liber hujus Quatuorviri alicubi

ſit lectus in Triclinio Jeſuitarum? Ad re

Ex ingenio factionis ſuæ fingit Jeſuit Scimus Propoſitiones quinque Corn. Janſe ante Conſtitutionem INNOCENTII X. illoru hominum judicio, fuiſſe *Sanctiſſimas & imm biles gratiæ Maximas:* in quam rem extant hodi que libri tunc editi ab illis. At verò Propoſ tiones eædem jam condemnatæ ut hæreticæ & quidem in ſenſu Janſenii (mirum dictu extare deſierunt in libro Janſenii, factæ ſunt & eſſe pergunt uſque ad hunc diem hæreſe imaginariæ. Hæc ſunt, non ſale quopiam petu lantis hiſtrionis, ſed veriſſimis lachrimis digna

Si quid inconſtantiæ ſimilis circa Propoſi tionem quampiam ex condemnatis ab INNOCENTIO XI. paſſus eſſet quiſpiam ex iis, quo odit Quatuorvir, minus eſſet peccati; cum non ſit damnata Propoſitio in ſenſu certi Autoris, ſed ſicuti jacet, faſque ſit, & conveniat, condemnatâ Propoſitione, diligentius inquirere, quo ſenſu in libro quopiam videri poſſit jacere; de quo prius non erat valde laborandum.

Quod verò ſignificat, Autorem Apologiæ pro Caſuiſtis non repuliſſe Montaltium, ut impoſtorem, ſed objecta ſingula ſuſcepiſſe, ut probabilia, alieniſſimum eſt a vero; legatur Apologia.

6. Perſuaſum cupit, verum non eſſe, quod

affirma-

affirmavi, Litteras Montaltii manu Carnificis crematas eſſe in Galliâ. Etenim res, ut ait, ſucceſſum non habuit in Concilio Burdigalenſi: hoc ſatis eſt, ut neget, crematas eſſe in Galliâ. De ſucceſſu in Concilio Burdigalenſi non inquiſivi. Sed Pariſiis quidem in Concilio Status, ipſo præſente Rege, Epiſtolæ illæ flammis damnatæ ſunt die 23. Septembris 1660. & ſententia ipſa executioni mandata die 14. Octob. eodem anno hora 12. meridiana. Teſtes rei totius extant proceſſus extracti ex Regiſtris regiis. Extat etiam judicium quatuor Epiſcoporum, & novem Sorbonæ Doctorum, quorum examini liber ipſe decreto Regio commiſſus fuerat, quique unanimi conſenſu declararunt die 7. Septemb. 1660. *Janſenianas hæreſes ab Eccleſia damnatas in eo propugnari, atque defendi, tum in dictis litteris Ludovici Montaltii; tum in notis Wilhelmi Wendrockii, tum in adjunctis diſquiſitionibus Pauli Irenæi...... Inſuper maledicentiam, & petulantiam tribus illis autoribus adeo eſſe familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Janſeniſtis, non ſummo Pontifici, non Epiſcopis, non Regi, non præcipuis Regni Adminiſtris, non S. Facultati Theologicæ Pariſienſi, non Religioſis familiis, ideoque librum eſſe dignum pœnâ libellis famoſis, & hæreticis à jure conſtitutâ.*

Habet Quatuorvir, quo mederi poſſit judicio ſuo de *ſolidiſſimis & Catholicis fundamentis* Lud. Montaltii,

Quid ego cætera perſequar, tam confidente quam falſò affirmata? quibus denique una conveniat reſponſio; falſum eſt; ſed qua ille no percellatur, quin affirmare pergat; etſi fundamento nullo. Ad rem accedamus propius.

§. 2.

Non ſe purgavit Paſtor neque purgabit, ſed neque Paſtorem purgavit Quatuorvir.

SIc prorſus nobis prodit hic Quatuorvir, ut ſi nihil odoratus eſſet illius libelli, quem ab anno circiter toto repoſui Epiſtolæ Petri Moens Paſtoris Brugenſis; ſi tamen hujus fuit illius Epiſtola, & non Quatuorviri. Otioſe mihi deſcribit univerſum libellum Criminatorium Paſtoris: non ſequor: non debeo, non lubet: Me ſequatur Quatuorvir, ſi lubet, ſi Paſtorem ſuum exhibere cupit purum calumniæ. Ducam brevius. Accuſatorem præſtare oportet ſingula: calumniæ ſit reus, ſi in uno defecerit. Revolvor igitur ad ea capita, quibus illum circumſcripſi nuper in libello, cui titulus: Levitas Paſtoris &c.

Sic fere aiebam. 1. Antonio Eſcobario Paſtor attribuit Propoſitionem primam ex 65. damnatis de licito uſu probabilis opinionis circa valorem Sacramenti: Locum Autoris citavit Theol. Moral.

Moral. in Prologo cap.3. n.15.Ibi nec verbum eſt de quæſtione hac: tractatur verò quæſtio, an ſequi liceat opinionem ſpeculative probabilem, non de valore alicujus actus, ſed de praxi ipſa & honeſtate actionis. Videatur Confutatio Triumvir. pag. 82. De mala fide & levitate Criminationis hujus non ſe purgavit Paſtor, neque purgabit.

Sed neque purgavit Quatuorvir, imo maculavit geminâ falſitate pag. 129. Primum quidem affirmans Eſcobarium *Regulam* illam *applicaſſe collationi Sacramenti pœnitentiæ in Pœnitente habente dolorem de peccatis ſuis ex ſolo metu*, Tr. 7. Exam. 4. c. 4. n. 18. Non applicavit, cum habuerit pro indubitato, (aures arrige Quatuorvir) *Attritionem cum Sacramento ſufficientem eſſe ad hominem diſponendum ad gratiam; modo ſupernaturalis ſit, & ex motivo æterno, ut pœna inferni, privationis gloriæ, offenſa etiam Dei, ſed non ſumme dilecti.* Hoc ibi unum docet Eſcobarius.

Non minus falſum eſt quod affirmat Eſcobarium lib. 2. c. 2. n. 16. docuiſſe quidem, *in Sacramentorum adminiſtratione quoties diverſæ ſunt opiniones circa Sacramenti ipſius validitatem, eligi partem probabilem non poſſe, tutiore ac probabiliore relicta &c.* Sed & docuiſſe huic ſententię contradictorium. Ubi id autem? quibus verbis? cedo locum. Non purgavit Paſtorem; ſed maculavit.

Secundò

Secundò Propoſitionis 2. de licito uſu opinionis minus probabilis, etiam Judici, autorem fecit Tamburinum lib. 2, in Decal. c. 3. §. 4 n. 10. Ibi verò Tamburinus, poſtquam docuiſſet ſingula Propoſitionem damnatam perimentia, hoc unum monuit, ſuperiorem doctrinam eſſe reſtrictam ad cauſas civiles: in Criminalibus enim, ſi Rei cauſa maneat probabilis, non licere Judici eum condemnare ob ſententiam probabiliorem reo adverſantem; idque ex diſpoſitione legum: quæ ſententia eſt certa, & minime damnata, ut omnes periti intelligunt. De criminatione hac non ſe purgavit Paſtor neque purgabit.

Sed neque purgavit Quatuorvir: imò calumniam novâ luce donavit, prolatis verbis Tamburini ibidem n. 9. *Scio Doctores non infima notæ contrarium aſſerere....* SED PROFECTO NON PROBABILITER PROXIME. Hac probabilitate conſtat opus eſſe ad licitam praxim: ad hanc ergo non ſufficiet illa qualiſcumque *probabilitas extrinſeca*, quam tribuit *tantorum ſententiæ Doctorum*, ut vocat.

Lepidè deinde cum ſuo Paſtore pugnat Quatuorvir. Paſtor haud valde curioſus vir, ut videtur, ſenſerat Tamburinum loco citato n. 10. docentem, licere Judici in cauſâ criminali ſequi ſententiam minus probabilem, quæ reo faveret: Tamburinum ergo reum egit

damnatæ

damnatæ Propoſitionis 2. *Probabiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem.* Quatuorvir animadverſo lapſu Paſtoris, partem in contrariam labitur ridicule: aſſumit, Tamburinum exiſtimaſſe probabilem illorum ſententiam, qui docuerunt, in cauſâ criminali licere Judici ſequi opinionem magis probabilem contra minus probabilem reo faventem. Quò tendit? Huc ſine dubio, quò oportebat: Ergo Tamburinus reus eſt Propoſitionis 2. En conſequentiam: Tamburinus docuit licere Judici ſequi opinionem magis probabilem; cum hoc ipſum reputaverit probabile: ergo docuit licere judici ſequi opinionem minus probabilem. Vides, Lector, perturbationem Criminatorum.

Sed verò non dixit Tamburinus probabilem illorum doctrinam, qui docuerunt, licere judici ſequi opinionem magis probabilem adverſantem reo, contra minus probabilem reo faventem: ſolum *non negavit probabile id eſſe*, ne condemnaret *non ignobiles Autores*, ut vocat, quibus annumerari geſtit Paſtor immiti doctrinâ ſuâ contra Reos in cauſa criminali.

Tertiò. *Omnibus Jeſuitis*, & paulò poſt, *omnibus ferme Doctoribus Societatis* impegit in Epiſtola Propoſitionem 3. *generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò a probabilitatis finibus non exeatur,*

tur, conſiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. Criminatio eſt enormis. Opto proferri vel unum Jeſuitam, qui ſaltem modò loquendi acceſſerit ad Propoſitionem præter Tamburinum, de quo ſum auditus in Confutatione. Quam ſint alieni Jeſuitæ à doctrinâ Propoſitionis, vel ex eo perſpicias, quod vix ulla ipſis doctrina ſit communior, quam ad licitum uſum probabilitatis requiri, ut probabilitas ſit certa: probabilitas autem quantumvis tenuis tandem deficiat à certitudine: neque enim quod proxime accedit ad confinia probabilitatis & improbabilitatis, facile dictu eſt, ſitne probabile, an improbabile. De calumniâ tam atroci non ſe purgavit Paſtor, neque purgabit.

Sed neque purgavit Quatuorvir, niſi purgaſſe ſit Calumniam renovaſſe, ut fecit pagina 7. Ad hoc genus ille eſt præſtrenuus.

Quartò Propoſitionem 4. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*, temerè attribuit Eſcobario Theol. Mor. pag. 39. Eſcobarius illo ipſo loco Theol. Mor. lib. 2. ſect. 2. prob. 6. n. 59. pag. 39. relatâ ſententiâ Dianæ, & Joannis Sanchez, docentium, ut putavit, infidelem, cui manet probabilis ſua Religio, nequidem in articulo mortis obligari ad credendum noſtra Myſteria, quæ cœperunt videri probabiliora, hæc ſubdit diſertiſſima; *Ego autem cum Bañes,*

&

& Petro Ledeſma, cum etiam extra mortis articulum obligarem. De criminatione hac non ſe purgavit Paſtor, neque purgabit.

Sed neque purgavit Quatuorvir, etſi verboſe hoc egerit. Huc res redit: Eſcobar cenſuit contrariam opinionem ſuæ eſſe probabilem. Demus. Sincerum ergo accuſatorem decebat, non contrariam opinionem, ſed probabilitatem contrariæ opinionis adſcribere Eſcobario: objecto ipſo hæc differunt: ut etiam non differrent, intereſt, an affirmaverit ut certum, an ut dubium, an ut probabile.

Sed quid ita cenſuit Eſcobarius contrariam ſuæ opinionem eſſe probabilem? Etenim, ait Quatuorvir, contrariæ opinionis autores citavit Dianam & Joannem Sanchez, & docet ipſe, in Princip. Mor. Theol. Exam. 3. c. 3. n. 8. quod ALIQUANDO *unus tantum Doctor gravis admodum opinionem probabilem poteſt efficere.* Poteſt *aliquando*: bene eſt: ergo hic poteſt: non ſequitur.

At verò probabilis opinio eſt Eſcobario, *quæ rationibus innititur alicujus momenti.* Ratio alicujus momenti Eſcobario eſt *Ratio firma, neque contra ſe habens rationem convincentem*: Ipſum vide Mor. Theol. Præloq. c. 3. n. 14.

Favet verò egregiè Propoſitionibus damnatis Quatuorvir, cum perſuaſum cupit pag. 21. illis adhæſiſſe implicitè, quiqui adhæſerunt

doctrinæ

doctrinæ probabilitatis. Cenſet igitur probabiles fuiſſe errores ſingulos ante Pontificium decretum: Non aſſentiuntur illi.

Quinto Filliucio attribuit Propoſitionem 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.* Autor ille de præcepto hoc alia docuit omnia Tract. 22. c. 9. ut oſtendi jam ſæpius, poſtulans quoque monſtrari locum & verba quibus affirmarit probabile eſſe, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis obligare præceptum Charitatis. Non ſunt monſtrata: neque de Fillucio acquieſcere debebat Eſcobario accuſatorem agens, ut alibi oſtendi. De Criminatione hac non ſe purgavit, neque purgabit.

Sed neque purgavit Quatuorvir, hoc loco exprobrans mihi, quod de Eſcobario tacuerim in Refutatione, non tacuiſſem, ſi Criminatorem egiſſem, cum nomen Eſcobarii non extaret in Criminatione flandrica, quam ibi refutavi. De Eſcobario ergo me videat in Confutatione.

Sed quam bellè argutatur de Henriquez. Probare aggreditur *clarum eſſe*, Henriquez Propoſitionis reum eſſe. *Eſt*, ait, *manifeſtum, dum Henriquez tradidit eum non peccare qui ſaltem ſingulis quinquenniis eliceret actum Dilectionis, ſi conſequenter loqui velit, etiam docere debere, eum non peccare, qui quinquennium parum excederet.*

ret. Quidquid enim aſferri poteſt, quo probetur unum, probabitur & alterum. Periclitetur Refutator, promitto ipſi claram reſponſionem. Poſtea inſultat, placens ſibi de iſto acumine.

Quis ad argumentationē hanc mutire audeat? Tantum dicam, niti ſtatuam pedibus argillaceis, ſeu falſa hypotheſi: non docuit Henriquez, eum non peccare, qui ſaltem ſingulis quinquenniis Deum amaret: docuit præceptum charitatis obligare ſaltem ſingulis quinquenniis: unde conſequens eſt, ut is peccet, qui non amat Deum ſaltem ſingulis quinquenniis; non eſt autem conſequens, ut is non peccet, qui amat Deum ſaltem ſingulis quinquenniis. Nihilne diſcriminis hîc videt tam acutus homo ut ſibi videtur? Aciem intendat. Poſt viderimus de reliqua argumentatione.

Sextò Propoſitionem 7. *Tunc ſolum obligat* (præceptum charitatis) *quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus*, attribuit Azorio; ſed per injuriam. Hoc Autor ſolum docuit, quod communiſſime Theologi, extra neceſſitatem juſtificationis, non eſſe tempus determinatum, ſive de quo nobis determinatè conſtet, quo obliget præceptum. Etenim l. 9. c. 4. q. 1. ubi viſus fuit peccaſſe, profitetur, non aliud ſe docere de præcepto charitatis, ac docuerat de præcepto fidei. Atqui lib. 8. c. 7. q. 6. de præcepto

fidei,

ſidei, ſimulque *de præcepto charitatis* ſic docu
rat, ut explicui: verba deſcripſi in Confutati
ne & Levitate Paſtoris ſub unum aſpectu
revocata. De Criminatione hac non ſe purgav
Paſtor, neque purgabit.

Sed neque purgavit Quatuorvir, magn
animi æſtu ne cutem quidem extimam pe
ſtringens Azorii, aut eorum, quæ pro Azori
dedi in Confutatione, & Levitate Paſtoris.

Septimo. Reum fecit Eſcobarium Propoſi
tionis 9. *Opus Conjugii ob ſolam voluptatem exerci
tum omni penitus caret culpa, & defectu veniali*
Doctrina Eſcobarii Tract. 7, Exam. 9. n. 53
hæc eſt: *Conjugalis actus bonus eſt, ſi ob prolem
fiat, vel ob debitum reddendum: ob alios fine*
VENIALE NON EXCEDIT. Non eſt idem
veniale non excedit, & *omni penitus caret culpa
& defectu veniali.* De criminatione hac non ſe
purgabit Paſtor neque purgavit.

Sed neque purgavit Quatuorvir, imo novâ
calumniâ maculavit pag. 29. ſignificans doctri-
nam propoſitionis approbatam eſſe ab Eſco-
bario n. 164. Falſum eſt dupliciter: adeatur
locus.

Octavo. Laxitatem Propoſitionis 12. de
prçcepto Eleëmoſynç attribuit Gabrieli vaſ-
quez in Opuſculo de Eleëmoſynâ. Demon-
ſtravi autem, doctrinam vaſquez de obligatio-
ne Eleëmoſynæ modum omnem ſeveritate ipſâ
egreſſam

egreſſam videri poſſe; quippe qui docuerit non ſolum in extremâ neceſſitate, quale eſt periculum vitę, ſed etiam in gravi, qualis eſt morbus gravis, atque etiam in periculo famæ amittendæ, nos obligari proximo ſubvenire non ſolum de ſuperfluis ſtatui, ſed etiam de ſuperfluis naturæ, & neceſſariis ſtatui. De Criminatione hac non ſe purgavit Paſtor.

Sed neque purgavit Quatuorvir, ſatis habens lacinias quaſdam opuſculi vaſquez inhumanè avulſas à contextu oculis Lectoris obiicere: ſuos verò oculos claudere, ne ea aſpiceret, quæ pro Vaſquezio dedi jam ſæpius. Huc huc ſe erigat, ſi ſinet odium & invidia: Quanto magis reſtrinxit Vaſquez notionem ſuperflui ſtatui, tanto magis ampliavit obligationem dandi Elëemoſynam ex neceſſariis ſtatui, ſolumque ſuperfluis naturæ. Modum quo id præſtitit, explicui luculente in Confutatione verbis ipſius Vaſquez, quæ nec levem plagulam accepêre ab hoc Quatuorviro: Iterum dico: experiatur in ſe Paſtor cum ſuo Quatuorviro ſeveritatem Doctrinę Vaſquez de Elëemoſynâ, brevique ad incitas ſe redactos aſpicient.

Nono. Mala fide reum egit Azorium Propoſitionis 16. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale & ſecundum ſe.* En verba Azorii p. 1. l. 8. c. 7. q. 6. *Præceptum fidei... habet vim obligandi, ut eſt præceptum virtutis Theologicæ,*

quamvis facile non ſit, ut ait Bañez deſignare certum tempus: ultra obligationem illam pro tempore haud facile deſignabili, obligationem primi actus fidei determinat ibidem c. 27. q. 8. *Cum primum fuerit* Evangelium *Chriſti idonee, & convenienter annuntiatum.* De hac igitur Criminatione non ſe purgavit Paſtor, ſed neque purgavit Quatuorvir, ac ne tentavit quidem.

Decimo. Propoſitionem 27. de *cauſa juſta utendi Amphibologiis, quoties id neceſſarium, aut utile eſt &c*, Paſtor affirmavit eſſe ex mente omnium Jeſuitarum. Calumniatus eſt fædiſſimè, ac nulla ſpecie conciliatâ calumnię. Quid ſentiant illi explicui. Ut cauſa ſit juſta utendi Amphibologiâ, etiam ex verbis & circumſtantiis ortâ, cauſas requirunt graviores, & vulgo admiſſas ut idoneas, qualem cenſent, ſi de peccato in Confeſſione ſacra audito interrogetur Sacerdos, ſi reus haud legitime interrogetur &c. Hortatus ſum Paſtorem ut vicinam Inſulam viſeret, & diſcere vellet, quinam illi ſint in Anglia, qui damnatum a Pontificibus Romanis *Juramentum*, quod vocant, *Fidelitatis* præcipue deteſtantur & quam carò illis conſtet ſua illa doctrina. Purget ſę de calumnia, quod adhuc non præſtitit, neque præſtabit ſed neque præſtitit Quatuorvir.

Undecimo. Leſſio lib. 2. c. 42. dub 9. attribuit Propoſitionem 28. *Qui mediante commenda-*

mendatione vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis &c. Decebat ſincerum Accuſatorem bis monitum non diſſimulare, Leſſium illo ipſo loco docere generaliter, ſic promotos eſſe reos *peccati gravis*, atque etiam *perjurii*, eoſdemque graviter obligari, ut commendationem faciant irritam, & alioqui obligari, ut Magiſtratum detrectent quoad poſſunt &c. De hoc ſinceritatis defectu numquam ſe purgabit cordatis viris.

Sed neque purgavit Quatuorvir; etſi totis viribus id egerit. Hæc pauca attendat Lector. 1. Non docuit ſimpliciter Leſſius, ei qui per ambitum promotus eſt ad Magiſtratū, licere jurare ſe non ambiviſſe quod habet Propoſitio: docuit, eum qui ambivit, obligari primùm quidem, ut irritas faciat commendationes per quas ambivit; ſi verò id non poſſit, jam electus ad Magiſtratum, docuit obligari, ut *potius Magiſtratum detrectet*, quam juret ſe non ambiviſſe En pontē a Leſſio objectum ambitioſis. Vel hoc ſufficere debebat Accuſatoribus, ſi eſſe vellent ſinceri, ne Leſſio adſcriberent ſimpliciter Propoſitionem damnatam. 2. Caſum poſuit, quo gravibus pœnis coguntur electi Magiſtratum ſuſcipere (qui caſus quam ſit frequens, non

inquiſivi) atque de eo ipſo non pronuntiat ſimpliciter Electum non eſſe perjurum ſi per reſtrictionem juret, ſe non ambiviſſe, ſed, ſi rem attendas, ſolum affirmat, non contrahere novam malitiam perjurii, & diverſam ab ea, quam jam ante contraxit in eam neceſſitatem ſe conjiciens: affirmat enim indubitanter, cum contraxiſſe malitiam perjurii. Habes, Lector, Leſſii peccatum.

Quam vera ſit illa ſpeculatio, non laboro, neque laborant Jeſuitæ, qui eam non ſuſcipiunt imo averſantur, judicent tamē ſapientiores quam ſunt hi Criminatores, quid ad praxim magnopere faciat. Hoc ſpectarunt hujuſmodi legum Conditores, ut horrore perjurii coërcerentur ambitioſi: obtinetur prorſus hic finis, etiam ſtante Leſſii ſententia. Interim exclamet ille, reum damnatæ Propoſitionis eſſe Leſſium: repono, quod olim præfidenti Adverſario Auguſtinus; *Dicis hoc quidem; ſed Tu dicis.*

Duodecimo. Eandem Propoſitionem 28. affirmavit eſſe *ex mente plerorumque Jeſuitarum.* Nullam veri ſpeciem adumbravit calumniæ tam atroci, de qua neque purgavit ſe Paſtor neque purgabit, ac nequidem Paſtorem Quatuorvir.

Decimo tertio. *Propoſitionem* 30. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre &c. Idem quoque dicendum, ſi quis*

quis.... poſt impactam alapam , vel ictum fuſtis fugiat Attribuit Leſſio, oſtendi Leſſium utramque partem Propoſitionis,& rejeciſſe ut parum probabilem in praxi , & validis argumentis infirmaſſe l. 2. c. 9. dub. 12. n. 80. & 82. De Calumnia hac non ſe purgavit Paſtor , neque purgabit.

Sed neque purgavit Quatuorvir ; etſi impotentiſſime ſe efferat hoc loco. Huc res redit. 1, Leſſius id docuit de *invaſore qui fuſtem vel alapam nititur impingere*, quod habet Propoſitio damnata de *invaſore , qui calumniam nititur inferre* : atqui par eſt ratio de Invaſore utroque. Ergo &c. Sed rationem de utroque diſparem vidit explicuitque Leſſius , & alii paſſim : atque etiam Lovanienſes Doctores , quibus alioqui nihil cauſæ fuiſſet mutandi verba Leſſii, cum potuiſſent nitidam ejus Propoſitionem offerre ad cenſuram.Sed & conſequentia riſum meretur.

2. Leſſius ratiunculas quaſdam collegit faventes damnatæ propoſitioni , neque eas ſolvit.Imo Leſſius enervavit fregitque eas omnes allatis rationibus in contrariam partem fortioribus.

3. Leſſius non negavit probabilitatem propoſitionis quæ eſt damnata. Quid tum ? ſi neque aſſeruerit. Negavit verò priorem Propoſitionis partem eſſe probabilem practicè,

 idque

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

idque his verbis : *Hac ſententia in praxi mihi non probatur* : inſinuat mox ne quidem ſpeculativè probabilem eſſe, idque his verbis ; *etſi ſpeculative vera eſſet, tamen vix in praxi poſſet habere locum*: hanc linguam non intelligit Quatuorvir, quam intelligunt omnes Theologi. De improbabilitate ſecundæ partis tacere Leſſio licuit ; ſed non tacuit omnino : *In praxi*, inquit, *non videtur facile permittenda.* Hic argutatûr Quatuorvir de Abbate concedente, ſed non facile ; quaſi idem ſint *non concedam facile*, & *concedo, ſed non facile.* En fumum tanti apparatûs.

Decimo Quarto, Propoſitionem eamdem 30. Affinxit Eſcobario. Hic Autor Tr. 1. Exam. 7. c. 2. n. 7. ſic interrogat, & reſpondet : *Licetne pro defenſione honoris verbis tantum impugnati aggreſſorem occidere ? Minime : Licet tamen ſi factis impugnetur. Fugit aggreſſor ? Occidere non licebit.* Locum deſignet Paſtor, ubi his contradixerit Eſcobarius, purgetque ſe, ſi poteſt.

Non potuit Quatuorvir. Suum iſtud occinit, Eſcobarium conſueviſſe contradictoria docere. Sic Paſtorem deſtituit, neque oſtendit hîc ſibi contradixiſſe Eſcobarium, ſatis habens retuliſſe verba Eſcobarii, quibus refert ſententias aliorum.

Decimo Quinto Propoſitionem eandem affirmavit

firmavit eſſe *innumerorum Jeſuitarum.* Aio fidenter ne unum quidem nominandum. Peccavit tamen Amicus argumenta colligendo faventia doctrinæ; ſed *diſputandi gratia*, *maturo conſilio relicto penes prudentem Lectorem*, ut profitetur. De criminatione tam enormi non ſe purgavit Paſtor, neque purgabit.

Sed neque purgavit Quatuorvir, ſatis habens nominaſſe Azorium, Filiucium, Becanum: de quibus & ego ſatis habeo negaſſe; præcipue cum ſingulos pridem vindicaverim, & liquidò quidem.

Decimo Sexto, Propoſitionem 31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei* adſcribit Molinæ. Quæſtionem de fure tractans Molina Tom. 4. de Juſt. tr. 3. d. 16. ægre aſſentitur, ut furem occidere liceat ad conſervandam ſummam magni valoris; *condemnare*, inquit, *non auderem.* At verò magni valoris rem eſſe aureum, nuſquam aſſeruit; imo haud obſcurè ſignificavit, tres, quatuor, & quinque aureos parvi valoris rem eſſe. Verum quod aſſeruit Molina de Raptore vim inferente, non ſolum rei alienæ, ſed etiam perſonæ Domini reſiſtentis, ſic accipitur a malevolis, ut ſi aſſeruiſſet de ſimplici fure. De criminatione ergo iſta ſe purgabit numquam.

Sed neque purgabit Quatuorvir, imo calumniam cumulavit dicens manifeſtum eſſe Eſ-

cobarium quoque damnatam propoſitionem tradidiſſe, idque ex ejus verbis, quæ ſunt hæc ipſa: *non debet eſſe res parva, niſi ut defendat fur rem parvam velit repetentem invadere*. Loquitur ergo non de invaſore rei, ſed invaſore perſonæ.

Ecce autem aliæ & aliæ ſurgunt paginæ; cum nihil magnopere offerat Quatuorvir, quod agam, niſi jam actum & peractum pridem. In pretio eſt tempus; pretii verò nullius, quæ affert: ergo ad compendia.

Decimo ſeptimo 18. 19. 20. &c. Propoſitionem 37. & 38. Paſtor adſcripſit Baunio: Propoſitionem 42. Eſcobario: Propoſitionem 43. Tamburino: Propoſitionem 53. Baunio: Propoſitionem 57. Amico & Hurtado de Mendoza: Propoſitionem 58. Baunio: Propoſitionem 59. *Ieſuitis ſæpe in Theſibus*: Propoſitionem 60. Baunio, Cauſſino, Franciſco Jacops, *infinitis Ieſuitis*: quid vis amplius?

Affirmavi, & demonſtravi in Refut. Confut. Levitate Paſtoris, omnia, & ſingula calumnias eſſe meras, de quibus non ſe purgavit Paſtor, neque purgabit.

Sed neque purgavit Quatuorvir. De Baunio ad Propoſitionem 37. videndus ſum in Confutat. Triumvir. Baunii quæſtionem meram coegerunt eſſe aſſertionem, fraude turpiſſima. Gemina Baunii aſſertio eſt reſtrictiſſima, ut oſtendi pluribus, quæ nec levi plagula perſtrinxit Quatuorvir.

De Baunio ad Propos. 38. Quatuorvir hæc exarare eſt auſus, VERBA BAUNII LOCO CITATO (Summa pecc. pag. 220. ſextæ edit) SUNT : *Valde probabile eſt, eum, qui per vices pauca alicui eſt furatus, cum ad notabilem quantitatem pervenerit, non eſſe obligatum quidquam reſtituere ſub pœna æternæ damnationis &c.* Steti fateor perculſus hæc legens : Adivi igitur Summam editionis ſextæ, & deprehendi hominis fraudem.

Pagina illa 220. ſic habet Baunius : *Sà verbo furtum n. 8. Nixus hoc fundamento dicit, quod ſit valde probabile, eum qui per vices pauca alicui eſt furatus, cum ad notabilem quantitatem pervenerit, non eſſe obligatum quidquam reſtituere. Berarducius in ſua Summa idem tenet &c.* Poſtea exponit rationes, quibus ad iſtam concluſionem deductus eſt Berarducius. Ipſe verò pagina 233. Quæſtionem 24. Sic inſtituit : *An quando per hæc parva furta perventum eſt ad ſummam requiſitam pro peccato mortali, & conſequenter eſt obligatio reſtituendi, fieri debeat reſtitutio totius ſummæ?* Reſpondet : *Manendo in noſtris principiis dicimus, quod ad evitandum peccatum mortale ſufficiat in rigore partem reſtituere, quâ reſtitutâ ceſſat notabilis quantitas ad furtum mortale petita.* Hæc eſt doctrina Baunii. Quatuorvir ſua uſus licentia, ubi Baunius ſic ait ; *Sà dicit quod ſit valde probabile &c,* Fingit Baunium dicere ;

Valde

Valde probabile eſt &c. Quid revera Sà dixerit, cum non ſit accuſatus, non vacat inquirere.

In criminatione Eſcobarii ad Propos. 42. Paſtorem deſtituit Quatuorvir.

In criminatione Tamburini ad Propos. 43. ne videatur deſtituere clientem deſcribit locum Tamburini diſputantis, & ambigentis, omittit verò ejuſdem locum abſolute ſtatuentis, & operoſe probantis ſententiam Propoſitioni damnatæ contrariam. Locum deſcripſi in Confutatione Triumvirorum.

In criminatione Baunii ad Prop. 53. otioſe refert, quæ affirmat Autor in Theol. Mor. Tr. 6. De duabus partibus Miſſarum diverſarum, ſed non ſimul auditis. Doctrinam Propoſitionis damnatæ de duabus partibus ſimul auditis negat ibi *ſequendam in praxi*, & quoniam hanc linguam non intelligit Quatuorvir, praxim illam Baunius damnat graviſſimis verbis in Summa Gallica c. 18. videatur Confut. Triumv.

In Criminatione Amici, & Hurtadi de Mendoza ad Propos. 57. deſtituit Paſtorem.

In Criminatione Baunii ad prop. 58. verba fundit multa, & inania, præterquam maledicentiæ, & contumeliarum. Hoc ad rem pertinet. Baunius Theol. Mor, p. 1. Tract. 4. Tit. de Confeſſ. q. 15. dub. 12. docuit, ut probabilius, Pœnitentem interrogatum à Confeſſario

non

non obligari, ut fateatur conſuetudinem peccandi, idque hac ratione; *Quia confeſſarius non habet jus interrogandi pœnitentem de conſuetudine peccandi*, NISI EJUS REI GRAVEM CAUSAM HABEAT, qua exceptione aio reſtrictam aſſertionem à Baunio, caſum agnoſcentem quo deficit Aſſertionis fundamentum: qui neque dubitare potuit quin jus illud Confeſſarii certum eſſet, ſi interrogandi ſit *cauſa gravis*, & quin adeo reſponderet illi certa obligatio in pœnitente ad fatendam conſuetudinem.

Quod ad Adrianum attinet, non accuſavi Doctorem: non eſt meus mos: dixi, minus abs re citari potuiſſe à criminatoribus quam Baunium: idque eſt manifeſtum; qui ſcilicet in 4. de Sac. Conf. ubi de reditu peccat. quæſt. ult. docuerit indefinite, non obligari pœnitentem ad explicanda peccata prius condonata, ne quidem *ut melius illi conſulere poſſit Confeſſor.* Hæc dixi, & dico: hæc ſuis Lovanienſibus, & Pariſienſibus queratur, quando apud me nec leviter infirmavit.

In Criminatione *Ieſuitarum in ſuis Theſibus* ad propos. 59. animadvertens Quatuorvir ex iis quæ legerat in Confutatione Triumviror. nihil ſe acturum, nequidem apud imperitos, niſi vocem exaſperaret, hoc egit ſtrenuiſſime. Jeſuitis ab Illuſt. Archiëpiſcopo Boonen examinatis, & de ſe affirmantibus ac jurare paratis

non credit: Jeſuitæ optimo Archiëpiſcopo à Janſenianis hominibus miſerrime deluſo non credunt in Epiſtolâ concinnatâ ab iiſdem Jeſuitarum hoſtibus, & refutatâ ad perſuaſionem Emin. DD. Cardinalium, ut exitus cauſæ docuit. Videatur Confutatio Triumvirorum.

In criminatione Baunii ad propoſitionem 60. otioſe deſcribit Quatuorvir locum Baunii p. 1. Tr. 4. q. 22. Per me licet, ut eum peritus Lector conſideret attente: ſed & ea quæ dedit Autor ibidem quæſt 15. Item ea quæ dedit in Summa Gallica cap. 46. q. 6. nuſquam ſe offert iſtud propoſitionis damnatæ; *dummodo ore proferat ſe dolere*; ſed contraria omnia, & quidem luculentiſſima. Compendio videri poteſt Confutatio Triumviror. De lacinia primo loco propoſita à Quatuorviro pag. 99. tunc videro cum locum mihi commonſtraverit, unde illam avulſit: interim illi remedium videat in ſumma Gallica loco jam citato: Ubi dicit, *ſæpe eſſe præſumendum, propoſita non niſi de ſupremis labiis venire; quando ſcilicet non obſtantibus prioribus promiſſis Confeſſario factis, licentius & flagitioſius in eadem delicta ſe ingurgitaſſent.* Sed & dicit verbis Ægidii Coninck *hoc caſu differendam eſſe abſolutionem*; quod tamen moderatur his verbis: *Non obſtantibus tam gravibus & frequentibus relapſibus, fieri poteſt, ut tangatur pœnitens* TAM POTENTI DOLORE *de ſuo peccato,*

to, ut nihil cauſæ habeat Conſeſſarius *rationabiliter dubitandi, an ſe velit emendare: quo poſito.... dignus eſt abſolutione toties quoties.* Hiccine eſt locus, quem tractavit Quatuorvir, nullum deſignans locum? Judicium ſuſpendam. Sed nego fingi poſſe peccatum Baunii iſto loco, niſi per impoſturam his Criminatoribus dignam. In criminatione Cauſſini ad Propos. 60. Paſtorem deſtituit Quatuorvir.

In Criminatione Franciſci Jacops ad Propoſitionem eandem ferre opem non potuit, niſi fœde traducendo commune effatum Theologorum acceptum a D. Thoma *In confeſſione credendum eſt peccatori & pro ſe & contra ſe, cum ſit Actor & teſtis.*

Oſtendat ubi elapſum ſit huic Profeſſori iſtud Propoſitionis damnatæ, *etſi emendationis ſpes nulla appareat*: ubi itidem iſtud tam indefinite, *dommodo ore proferat ſe dolere:* reſtrinxit illis ipſis verbis, quæ deſcripſit Quatuorvir. Quod vero dixit, motivũ ſufficiens eſſe atteſtationem Pœnitentis dum non patet contrariũ, dixit citans Navarrum, Antoninum, Silveſtrum: dicti ſenſum ex illis petat Criminator. Tum vero placet ſibi Lovanienſes Doctores, qui *quæſtionem Theologicam* Franciſci Jacops luculenter approbarunt.

In Criminatione *Infinitorum Jeſuitarum*, quos Propoſitionis ejuſdem reos fecit Paſtor

nullam ſenſit opem à Quatuorviro. Ex infinitis Jeſuitis ne unus quidem inventus eſt, qui nunc nominaretur: nam Filliucius, Suarez, Dicaſtillus, quos nominavit Quatuorvir, docentes pœnitenti affirmanti ſe dolere credendum eſſe, nihil minus cogitantes quam de habentibus conſuetudinem peccandi, conſtitutis in occaſione peccandi proxima &c. De quibus ſolet ſeorſum agi, aliud docuerunt nihil, quam quod D. Thomas & communiſſime Theologi, *Peccatori in confeſſione credendum eſſe & pro ſe & contra ſe*, quod effatum generale quo ſic condiendum ſit non ignorarunt illi. Apage igitur Criminatores *infinitorum Jeſuitarum.*

Hæc fere erant capita, quibus circumſcripſi Paſtorem nuper. Concludo, nec ſe purgaſſe ipſum, nec purgatum eſſe a ſuo Quatuorviro. Hic vero ne queratur reliqua eſſe præterita omnia, ſpongiam jaciamus.

§. 3.

Spongia in alias Criminationes Paſtoris à Quatuorviro inſtauratas.

OMneſne? Tum vero deſipiam. Jacienda eſt temere, & abſolvenda hæc farrago, cujus me tœdet jam pridem; autumo & lectorem. Autores non paucos ſatis habet nominaſſe

naſſe denuo: pro aliis non paucis illa attulit, ad quæ reſponſum eſt pridem: nihil ergo me morabuntur illi omnes.

Ad Propoſit. 5. Lis inſtauratur Syrmondo. Peccatum Syrmondi nitidè explicui in Confutat. Triumviror. Ad Prop. 7. Diſputavit; & quidem ex Hypotheſi, quod ea eſſet ſententia D. Thomæ. Sic ipſe de ſe conteſtatur ſemel, iterum, tertiò, ut oſtendi. Certum illi habent non credere id de ſe conteſtanti, & nos credere jubent, diſputaſſe Lovanienſes Doctores, ſicubi peccaſſe videantur, etſi id illi non ſint conteſtati, etſi etiam illa defenſione ſint excluſi illis nominibus, quæ explicui in Prolegom. ad Confut. §. 10. Cætera de Sirmondo dedi in Confut. ad Prop. 7. quæ ſtant integra omnibus articulis.

Ad Propoſitionem eamdem ſtrepitum ciet ingentem de Gabriele Vaſquez. Non legit, ſimulat quidem non ſe legiſſe quæ de mente Gabrielis Vaſquez dedi in nuperis pagellis de *Levitate Petri Moens Paſtoris &c.* Oſtendi luculente, Authorem iis locis, quæ vocantur in invidiam, poſſe ac omnino debere intelligi de præcepto Charitatis extra neceſſitatem extremam non obligante *tempore determinato*, ſeu de quo nobis determinate conſtet; Paginas adeat de *Levitate Paſtoris*, qui plura hîc vult, aut mihi ſcriptorem curet, cui perdere tempus ſit leve.

ve. Cæteras nœnias de Vaſquezio male intellecto ab Eſcobario &c. præoccupavi alibi Maledicentiam vero infruniti oris caſtigandam relinquo iudiciis Lectorum moderatorum.

Ad Propoſitionem eamdem abſoluturus videtur Tamburinum, ſi Azorius, quem ille ſequi ſe profitetur, exhibeatur innoxius. Id præſtiti liquidò iam pridem & ſæpius ad Propoſit. 7. illorum nihil vel pilo movit de loco ſuo Quatuorvir.

Ad Propoſitionem 13. 14. de Caſtro Palao, adeoque de Tamburino, quatenus hic illius ſententiam vocat probabilem (plus non peccavit) ea dedi pridem, quæ nec leviſſime ſunt perſtricta.

Ad propoſitionem 25. verboſiſſimus eſt Quatuorvir contra Guilielmum le Maire, qui adverſus Sinnichium vindicaverat Tamburinum ita ut explicui alibi. Satis bellus ſibi videtur pag. 40. ſed non animadvertit miſer, hærere ſibi aquam, ubi affirmat, *licitum eſt jurare verbis æquivocis* evidenter includi in hoc, *licitum eſt jurare ſine animo jurandi.* Nimis clarum eſt, fieri poſſe, ut quis juret ſine animo jurandi, & tamen non juret verbis æquivocis, non ergo illud in hoc includitur: cumque videat criminator eò denique litem redire, agnoſcat cauſam tam operoſe elapſam è manibus ſubito. Sic debilitatus coluber in ipſo conatu frangitur.

Ad

Ad propoſitiónem 27. *Cauſa juſta utendi his Amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt &c.* Tamburinum poſtulat, quia docuit *licitum eſſe jurare* (addere debuiſſet, *interdum, certisque & gravibus cauſis*) *ſine animo jurandi eo ſenſu, quo juramentum accipit audiens.* Vaniſſima criminatio.

Ad propoſitionem 28. In criminatione Flandrica reus eſſe jubebatur Gaſpar de Haeze Jeſuita, ut qui pro concione Brugis eam effutiiſſet. Teſtem innocentiæ ſuæ appellavit ille Illuſt. Epiſcopum Brugenſem : qui tota illa quadrageſima, in qua id factum oportuiſſet, concionibus ejus interfuiſſet. Poſt hæc in criminatione latina ſiluit Paſtor de Gaſpare de Haeze. Fert opem Quatuorvir : *De concione*, inquit, P. *de Haeze nihil habetur in latino exemplari ; ſed certo ſciat, etiam conſtare mihi, concionem fuiſſe habitam in S. Donatiani Brugis à P. ut puto, de Vos, in qua audebat publice dicere &c.* En cauſam fluctuantem : Erat primùm P. de Haeze, qui peccaverat : is non eſt amplius. Eſt jam P. de Vos ; ſed *ut puto.* At *certo ſciat conſtare mihi concionem fuiſſe habitam.* Ego quidem ex affirmatione hujus Quatuorviri certo ſciam numquam. Quod attinet ad Patrem Jacobum de Vos (hic eſt de quo *putatur*) non putat hic quidem, ſed certus eſt, paratuſque jurare, numquam ſibi pro concione excidiſſe illa, ac

ne argumentum quidem illud ſe attigiſſe umquam.

Quod garrit Quatuorvir de confeſſione P. Laurentii Papenbrouck apud Illuſt, Epiſcopum Brugenſem, neque ipſi credam, neque Paſtori: negat quidquam hujus auditum eſſe à ſe is, qui adfuit, ubi hæc fateri illum oportuiſſet, qui jam pridem diem ſuum obiit.

Ad propoſitionem 46.& 47.in cauſa Valentiæ & Tanneri, ut moderetur vaniſſimę gloriationi, hæc pauca accipiat. Voces *ut plurimum*, & *plerumque* particulæ ſunt affirmationem reſtringentes ad majorem partem temporis vel occaſionum, importantes verò negationem, aut ſaltem dubitationem de reliqua minori parte, quando niſi de hac parte negandum, vel dubitandum eſſet, res ſermoni ſubjecta, & circumſtantiæ poſtularent affirmationem non reſtrictam. Exemplo ſit cenſura Lovanienſium, de qua lis incidit: ſic habet illa:

Variæ illæ formalitates UT PLURIMUM *palliæ ſunt latentis Simoniæ: & quamvis fieri ſubinde poſſit, ut nulla proprie dictæ Simoniæ labes ſubſit.* PLERUMQUE *tamen ſubſunt ſordes Simoniæ affines.*

Hîc verò res ſermoni ſubjecta & circumſtantiæ poſtulabant omnino cenſuram non reſtrictam, niſi judicaſſent Cenſores illas formalitates aliquando non eſſe pallia latentis Simoniæ, & aliquando iiſdem non ſubeſſe ſordes Simoniæ

Simoniæ affines, vel ſaltem niſi de eo dubitaſſent: nam & de toto rogati erant ſententiam Cenſores, & æque intererat nos doceri de toto quàm de parte, neque minus ad hoc illi ingenio ſuo prompti, & propenſi erant.

Hanc vim ejuſmodi particularum animadvertentes Patres, qui Helvidium confutarunt, hoc egerunt ſedulò, ut oſtenderent ad locum Evangelii, *Non cognoſcebat eam* DONEC *peperit filium ſuum primogenitum*, nequaquam pertinuiſſe ut explicaretur, quid geſtum eſſet poſt partum Virginis, quem explicare ut rem miram ibi erat propoſitum.

Ex his intelligitur, ſtare inconcuſſum, quod affirmavi, Lovanienſes Cenſores in ipſa ſua cenſura laxius minuſve ſevere ſenſiſſe de Simonia, quam Valentiam & Tannerum, quorum doctrinam notare erat propoſitum. Videatur Confutatio Triumvirorum ad Propoſit. 46. 47.

Ad Prop. 53. occinere pergit verba quædam Eſcobarii Tr. 1. exam 11. c. 4. n. 73. quæ in eo quidem codice, quo utor, non extant: autumo uſum editione anni 1646. quam commonſtravit Montaltius Epiſt. 9. Jam dixi in Confutat. Triumvirorum, ſi quid ibi peccavit Autor, de quo mihi non conſtat, id ipſum emendaſſe poſteriori editione. Ille certum habet non ignoſcere, meque ut veritatis inimicum lacerare, qui in meo codice verba illa non legerim.

 Ad

Ad Propoſit. 61. Verba Baunii Tr. 4. de pœnit. q. 14. non pauca deſcribit, maligne, vel ſtolide omiſſis quibuſdam. Huc res redit, Baunius docuit 1. Regulariter abſolvendum non eſſe, qui eſt in occaſione peccandi proxima. Docuit 2 licere adire ea loca & conſortia, in quibus occaſio peccandi proxima ſit futura, invitante ad hoc proximi ſalute æterna, converſione infidelium &c. Certiſſimum eſt Quatuorviro, hoc non docuiſſe D. Thomam 2. 2. q. 10. a. 9. De hoc jam non eſt curæ. Sed per me licet, ut ſtatuant ſapientes, an illa doctrina Theologorum communis ſit damnata. Docuit 3. licere manere in occaſione proxima peccandi ex juſta cauſa. Quænam cauſa ſit juſta, non explicuit ſtudioſe, niſi quod oſtendat ſe non dubitare, quin ſalus æterna proximi cauſa ſit juſta. Sed denique in aſſertione requiſivit *cauſam juſtam*, de qua intelligendum eſt corollarium, quod ex aſſertione deducit ſatis incurioſe; ut aliquam hypotheſim haberet Quatuorvir ad exclamationem; *quis non ſtupeat &c.*

Ad Propoſitionem eamdem citat nobis Sancium p. 5. tr. 14. reſol. 108. Nullum novi Sancium, qui p. 5. tr. 14. reſol. 108. illa dederit, quæ iſte hîc refert. Si memini, quædam habet illis ſimilia Joēs Sanchez, qui mihi non eſt curæ, etſi Paſtor voluerit Jeſuitam facere, & ridicule illi opem tulerit Quatuorvir.

Ad

Ad Propoſitionem eamdem verba refert Franciſci Jacops, quæ ad rem nihil. Videatur Confutatio Triumvirorum ad Propoſit. 61. 63. Tamquam verò illis verbis completa eſſet malitia Sodomæ & Gomorrhæ, convertit ſe ad planctum non ſuum; *Flete mecum Chriſtiani animi &c.* Hæc ex ore fuſa tam maledico, & contumelioſo neminem movebunt; ac minime omnium illos Lovanienſes Doctores, qui libellum Franciſci Jacops approbarunt tam luculente.

Ad Propoſit. 62. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit*, opem fert Paſtori Propoſitionem aſſignanti *innumeris*, cui ego reſponderam, ne unum quidem nominandum ex religioſo Ordine Propoſitionis patronum. Contra ſe accingit Quatuorvir ut producat *valde multos, & maxime Religioſos.* Spectemus venientes ſingulos.

Primas, inquit, *tenet Baunius.* De Baunio auditus ſum modò ad Propoſit. 61.

Secundus producitur Lud. Beja ex Ordine S. Auguſtini. Ubi autem Beja tradidit Propoſitionem? *Citatus*, inquit, *eſt à Baunio.* Ignave Quatuorvir! Hoccine eſt accuſare? Beja p. 1. caſu 39. non docuit, quod eſt damnatum, neque pro eo citatur à Baunio: legatur uterque.

 Tertiò

Tertio loco prodire jubentur Jeſuitæ Baunii Approbatores, *imò tota Societas*, inquit, *juxta dicta ad Prop.* 61. quia ſcilicèt aſſenſu Prępoſiti Generalis eduntur libri. Inſulſum hoc; me videat in Prolegom. ad Confutat. Triumviror. §. 11.

Quartus, imò Primus, ſed novo ſpectaculo, offertur Baunius, qui docuerit, *occaſionem primò & per ſe quæri poſſe, cum eſt aliqua cauſa eam volendi ob bonum noſtrum, aut proximi &c.* Falſum eſt, id docuiſſe Baunium: dixit docuiſſe Baſilium Pontium, & temere dixit, neque id tamen eo peccato, quod eſt Criminatorum hujus temporis, cum neque accuſaret neque res tam eſſet invidioſa: videndus ſum in Confutat. & Refutat.

Quintus ſiſtitur Baſilius Pontius, ſeu Jeſuita, ſeu Eremita Auguſtinianus, ſeu utrumque. Quo teſte? Baunio. Redit ignavia, quam carpebam. Baunius pro ſua doctrina citavit Baſilium: de illa auditus ſum; ſed & de doctrina Baſilii pridem: In Append. de Matrim. c. 6. requiſivit *magnam & eximiam cauſam*, in qua agatur de bono ſtatu, pace, aut libertate Eccleſiæ &c.

Sexto loco ſequi jubentur Approbatores libri Baſilii Pontii. Hi quidem certe non fuerunt Jeſuitæ. Sed & futile eſt, ut oſtendi.

Septimus, imò Primus, ſed novo interludio occurrit Baunius, qui docuerit ſufficere *aliquam*

cauſam;

cauſam; ſed *juſtam*; ut in aſſertione poſuerat; ex qua duxit conſectarium, quod citatur. Me vide ſupra. Et quoniam fatetur Quatuorvir profiteri Baunium, ſe ſubſcribere ſententiæ Baſilii Pontii, requirit omnino *magnam & eximiam cauſam.*

Octavus adeſſe cogitur Navarrus citatus à Baunio. Pergit eſſe ignavus criminator, cujus erat adire Navarrum, & virum urbanè invitare, ad augendum cœtum Religioſorum: hi non reſpuiſſent: ſed illi non fuiſſet animus Presbytero ſæculari.

Nonus producitur Franc. Jacops, *damnatus*, inquit, *ab Epiſcopo Atrebatenſi*; ſed abſolutus ſententiâ Theologorum Europæ, etiam Doctorum Lovanienſium, & contra criminatores vindicatus in Confut. Triumviror.

Decimus protrahitur Joannes Sanchez. Cui Ordini religioſo donatur? ſero donabitur. Mortuus eſt Presbyter ſæcularis.

Undecimus adeſt Emanuel Sà, *v. abſolutio docens abſolvi poſſe, qui ex juſta & rationabili cauſa non vult omittere peccandi occaſionem, modo proponat firmiter non peccare, etiamſi aliquoties ſit relapſus.* Ex juſta & rationabili cauſa? legatur propoſitio damnata.

Duodecimus adeſt Dicaſtillo. Unde autem? nec locus, nec verba Authoris. Quid peccavit?

Idem

Idem ferè, inquit, quod Sà. Idem? & quidem ferè? bene eſt igitur.

Facile videbat Quatuorvir, non inventuras fidem has criminationes. Quare ad extremum: *Audebitne*, inquit, *negare Tamburinum ſuum l. 7. in Dec. c. 3. §. 5. hanc damnatam Propoſitionem tradere?* Vide non jam fraudulentiam, ſed imperitiam hominis.

Tamburinus iſto loco non agit de occaſione proxima peccandi, ſed de cauſis pollutionis, *ceſſante ſemper periculo conſenſus: hoc enim*, inquit n. 51. *ſi exiſtat & prævideatur, ſeu per negligentiam gravem prævideri negligatur, peccatum eſſe mortale pollutionis in cauſa non eſt dubium.*

Adnumeremus modo illos *valde multos*; quos magno promiſſor hiatu aiebat ſe daturos. Nominavit Baunium, Bejam, Pontium, Jacops, Tamburinum, & *ferè* Dicaſtillum. Nullum vero ex omnibus, niſi per injuriam. Quod effutiit de Approbatoribus, & tota Societate, non eſt mentione dignum.

Ringitur miſer de inopia criminationis ſuæ, & Baunio novam ſcribit litem ex Tabellis Paſtorum Pariſienſium; ex quibus ſcilicet diſcendum nobis eſt, quid docuerit Baunius in ſuis Libris. Apage futilitatem. Nihilo magis idoneæ ſunt illæ, ut doceamur, quid ſenſerint, ſcripſerintve, quos Baunio ait in Gallia patrocinatos. Tabellis ſuis convincendi ſunt, qui

ſcripto peccarunt, non vero ſuorum hoſtium.

Deſperatiſſimâ cauſâ, torquet, fingit, depravat unumquodque ut eſt commodum. Autorem Apologiæ Caſuiſtarum (quis homo ſit neſcio) teſtificari jubet, Societatem in Gallia, defendiſſe doctrinam Pontii *evidentiſſime damnatam*, ut ait, in Propoſitione 62.

Doctrina, quam affirmat Autor Apologiæ pag, 48. ad object. 8. (hunc locum citat Quatuorvir) non quidem defenſam, ſed adſcriptam Pontio, neque id à Societate, ſed à quodam Jeſuita, hæc eſt; *quod in certis eventibus, ubi quis non poteſt vitare occaſionem ſine evidenti periculo vitæ, honoris, aut magni cujuſdam incommodi in ſuis bonis, poſſit manere in occaſione, dummodo illam directe non quærat.* Deteſtare Lector, hominis fraudem. Accipe aliud.

Ad Propoſitionem 63. finxit Baunium dicere, ſe lubenter ſubſcribere ſententiæ Baſilii Pontii docentis (ſic putavit Baunius) *occaſionem primo & per ſe quæri poſſe, cum eſt aliqua cauſa eam volendi &c.* Falſum eſt prorſus, dixiſſe Baunium, ſe ſubſcribere huic doctrinæ: verba Autoris volo hoc dicentis: non dabuntur. Hoc proprium iniquis criminationibus, ut alia repulſa vix egeant; niſi hac ad nauſeam repetita in his pagellis, FALSUM EST.

In-

Inſerenda pag. 16. poſt lin. 24. ante §. octavo.

Estne mentione dignum commentum, quo pag. 137. refert ille dictum eſſe ab Illuſt. Epiſcopo Brugenſi: *Tradidit Paſtor doctrinam veram*; de illicito uſu conjugii, cum mulier eſt gravida &c. Conſtat commentum eſſe merum: Teſtem appello Illuſt. Epiſcopum.

Inſerenda pag. 26. poſt lin. 11. ante §. in criminatione Baunii.

Cæterum fœdiſſima fraude graſſatur in dictum locum Tamburini diſputantis, operæ pretium eſt id Lectori exponere. Pag. 73. verba profert non pauca, ut accepta à Tamburino L. 9. in Decal. c. 3. §. 2. n. 25. quæ neque eo loco extant, neque alibi Tamburino exciderunt: ſed criminator animadvertens Tamburinum loco citato, ad quem calumniatus eſt Paſtor, habere omnia damnatę Propoſitioni diſerte repugnantia, alium locum turpiſſime à ſe depravatum exhibuit, finxitque eum ipſum eſſe, quem citaverat Paſtor: depravavit vero locum Tamburini l. 9. in Decal. c. 2. §. 2. n. 4. & ſequentibus, ubi quæſtionem ille agitat quidem; ſed ejus ſolutionem ex profeſſo differt in aliud tempus: quod ut ſecus Lectori videretur, criminator ſua uſus
Fraus fraude, ea quæ Tamburinus poſuit, ut obje-
pudenda. ctiones meras, fecit aſſertiones: ubi Tamburinus hæc poſuit: *Quid ni? reſpondebis*, finxit

xit ille hęc poſuiſſe Tamburinum; *Reſpondeo*; *quid ni.* Ac mox ubi Tamburinus ſic poſuit: *Si aperiatur hujuſmodi oſtium, quomodo ſtabunt publica judicia? inveniantur, reſpondebis, teſtes veri &c.* Finxit Tamburinum ſic poſuiſſe; *Inveniantur, reſp. teſtes veri &c.* Mirum, hic potiſſimum paſſum eſſe ſcrupulum, ne, ut prius, abſolveret verbum *reſpondeo*: ſcripſit *reſp.* pro reſpondebis, haud immerito ſperans legendum *reſpondeo*. Ne palparetur fraus tam pudenda, omiſit novâ fraude verba Tamburini extrema: *ſed ego iterum audio: quia tamen adhuc durum audio: libenter nodum hunc in aliud tempus evolvendum reſervo.* Vides, Lector, fraudulentiam: hâc omnino erat opus, ut ſpecie ſaltem ad tempus valiturâ denigrarentur Theologi Religioſi.

LECTOR MODERATE

TIbi hæc ſcripſi ſoli. Malevolis, odio cœcis, Wicleffico actis ſpiritu in Religioſos Viros, perſuaſurum me non ſperavi. Animum igitur adverte ad hæc pauca.

Propoſitiones 65 damnavit Apoſtolica Sedes *ſicut jacent*: nullam declaravit ſe damnare in ſenſu certi Autoris. Ardeliones quidam de eorum genere, qui Propoſitiones quinque damnatas, ut hæreticas, in ſenſu Cornelii Janſenii, negant inveniri in Libro Janſenii, declarandum ſuſceperunt damnatas eſſe Propoſitiones Religioſorum virorum.

Ad hoc ſatis habent illi verborum Aucupes inveniſſe in Libro quopiam verba quędam vel affinia vel ſimilia verbis Propoſitionis damnatę cujuſpiam. Si quis ipſis haud acquieſcens, quod omnino licet per Pontificium Decretum, Librum adeat, eaque proferat, unde vel ſit evidens, vel valde veroſimile, Autoris verba ex contextu univerſo alium prorſus habere ſenſum; quam ingerat nobis Propoſitio accepta *ſicut jacet* in Decreto, offenduntur graviter, turbantque ſe, ut violato Pontificio Decreto:

hujus

hujus honorem tribui volunt ſuis calumniis & impoſturis.

Criminatorum hujus generis agmen duxit Petrus Moens Paſtor Brugenſis. Sed quam id vel imperite, vel temere aut parum ſincere, patuit liquido jam ſæpius. Quam id etiam tentarit animo parum æquo in Religioſos Viros, oſtendi in Confutat. Triumviror. Ubi demonſtravi luculente, haud minori jure potuiſſe reos fieri Theologos omnis generis, etiam Lovanienſes Doctores, atque hos quidem numero permagno, atque ad Propoſitiones permultas.

Frenduit hæc aſpiciens Deſiderius quiſpiam Condeus, & magno animi æſtu hoc agere viſus, ut opem ferret Paſtori, ipſum luto ſuo merſit altius, veteres calumnias novis cumulans calumniis & impoſturis, non ſine graſſatione pudenda in Autorum ſcriptis, quod palam feci his pagellis: ut denique ſine ſcrupulo iſtud videar adhibere poſſe

Scrutati ſunt iniquitates: defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.

Non ſperavit infelix, purum calumniæ ſe exhibiturum Clientem: ſæpe id ne tentavit quidem: ubi vero id tentavit, quo ſucceſſu id præſtiterit, vidimus. Ut vero alicubi oſtendiſſet, non aberraſſe Paſtorem, de calumnia teneri hic perget, niſi expurgentur calum-

niæ ad unam omnes ; cujus rei certiſſima eſt deſperatio.

Niſi deſperatiſſimam agnoviſſet ipſe Clientis ſui cauſam, putamusne uſurum fuiſſe ſcribendi genere, tam procaci, petulanti, contumelioſo, maledico, furioſo? Hoc Patrono indigebat cauſa Paſtoris, quo nemo ſapiens optet vel abſolvi.

Tam cœcus ipſe odio in Religioſos Viros, hoc omne vitium Clienti ſuo facile ignovit. Cur illos potiſſimum criminandos ſuſcepit Paſtor, cum tanta eſſet ubique copia etiam Lovanienſium Doctorum, quos criminari poſſet non minori jure, ut demonſtratum eſt pridem? Nihil cauſæ attulit Quatuorvir quod non ſit convulſum, atque contritum in Confutatione Triumvirorum: ut mihi fas ſit etiam hæc adhibere

Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.

FINIS.